

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

40.

DE
SANGVINIS HIRCINI
VSV ET PRÆSTANTIA
IN RE MEDICA,

QUAM
VELIFICANTE NIMINIS SUPREMI GRATIA
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAULI ORD. S.
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS
ET IN FRANCKERODA AD VVERKHAM DOMINO, S. FACVLTV.
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. HERMANNIPAVLI JVCII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SYMPOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLCÆ ERFVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS *Stauder*

Ohrdrufio-Gothanus.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSUVETIS.

DIE I. JVLII A. R. S. M DCC XXX.

ERFORDIÆ, literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

IN RE MEDICA
DE
SACROVIRIUS HILFENI
VSV RE PRESIDENTIA

RECTOR UNIVERSITATIS MAGNIFICO
D. P. A. C. I. D. O.
MEDICAE IN RE PRAESIDENTIA


D. R. HERMANNI PAULI SCHULI
ARCHIAI

DOCTOR
SACROVIRIUS HILFENI

JOHANNES GOMPHIUS HILFENI
ON

RECTOR UNIVERSITATIS MAGNIFICO





Q. D. B. V.

PROÆMIUM.



Inter medicamenta ex tribus regnis desumpta sibi ex regno animali quædam propter eximias in medendo virtutes specificas, & magis convenientem homogeneitatem cum corpore humano, præ cæteris, nempe ex vegetabili, & minerali regnis depromptis simplicibus, non infimum vindicant locum; Quid enim in affectibus uterinis, & colico-spasticis præstantius est castoreo? Quid in febribus malignis magis extollitur lapide bezoardico orientali, & lapide porcino Indico, vulgò Piedra del Porco dicto? de quo vid. Clar. Valentini Dissertat. Quid bufonibus desiccatis in virulentis

A 2

an-

anthracibus pestilentialibus, externe impositis?
 Quid oleo animali Dippelii in motibus convul-
 sivis, & febribus intermittentibus pertinaciori-
 bus? vid. Christ. Democriti tractatul. Vitæ ani-
 malis morbus, & medicina nuncupatus, quem
 jam nominatus Autor Dippelius sub tecto hoc
 nomine edidit, & Clariss. D. D. Joh. Junckeri
 Dissertat. de medicina quadam efficaci in mo-
 tibus naturæ exacerbatis; Quid succo cancro-
 rum? Quid albo græco magis conveniens est
 in angina, si invicem cum aqua florum sambu-
 ci, & aliis appropriatis l. a. in formam garga-
 rismatis rediguntur, & in casu necessitatis adhi-
 bentur, ut sexcenta alia brevitatis causâ silentio
 præteream, quæ ex animalibus, eorumque par-
 tibus cum Autorum probatissimorum applau-
 su in usum medicum bono cum successu vo-
 cantur, & in Officinis Pharmaceuticis partim
 cruda, partim arte convenienti præparata pro-
 stant; Quum igitur in horum censu etiam san-
 guis hircinus occurrat, & tanquam medicamen-
 tum optimæ notæ, tam interne quam externe
 in usum medicum trahatur, mecum constitui
 occasione præsentis speciminis inauguralis de
 San-

Sanguinis Hircini usu, & præstantia in re medica paucula quædam differere; Faxit autem Deus T. O. M. ut omnia nostra cœpta ad sui Nominis sanctissimi gloriam, & proximi nostri salutem vergant, eveniant!

Thef. I.

Hircus quale sit animal, neminem facile latebit, est enim animal notissimum, & juxta *Gesnerum in Hist. animalium lib. 1. fol. 301.* definitur, quod hircus sit maritus, & dux caprarum, & *fol. 303. cit. loc.* ex Isidoro, quod sit animal lascivum, semper ad coitum fervens, cujus oculi ob libidinem in transversum aspiciant, unde & nomen traxerit, quia hirci secundum Suetonium oculorum essent anguli; Alii quidem & derivationem hujus denominationis ab hirsutia deducere volunt, quia hirci ut plurimum hirsutis, & villosis capillis superbiunt; Castratus autem hircus ad differentiam specificam in sensu usu recepto plerumque caper nuncupatur.

Thef. II.

Præ cæteris & animalibus hircus insigni graveolentia sua, & olidis effluviis, quibus auram circum circa implere solet, se satis sufficienter distinguit, & propter hanc graveolentiam tempore pestis ad corrigendam aëris pestiferi dispositionem in ædificiis pro singulari remedio habetur, nec non pro abigendis gliribus, siquidem experientia teste hæc murium species olidum hircorum odorem maxime fugere, & aversari

ereditur, quem in finem sæpius ad eos arcendos in stabulis equinis hirci ejusmodi graveolentes aluntur, & mutili cornibus præ cornigeris eliguntur.

Thef. III.

Quamvis autem præter sanguinem hirci desiccatum non pauca ex hoc animali ab Autoribus in usum medicum vocari soleant, e. g. cornua, & pili ad fuvim discutiendi, emolliendique in stranguria, & hæmorrhoidibus cæcis, hic in forma suppositorii, illic in forma unguenti regioni umbilici illinendi; Hepar in morstu canis rabidi vulneratis, aut dilaceratis partibus impositum, contra hydrophobiam. Stercus cum vino in formam emplastri remixtum in parotidibus, bubonibus, item in doloribus nephriticis, & obstructibus œdematosis ventri impositum, &c. attamen nobis pro instituti nostri ratione, missis cæteris hujus animalis partibus, usui ut plurimum tantum externo, ut jam quibusnam morbis sanguis hircinus præcipuè in usum trahatur medicum, & præliminariter meminisse, quod hic sanguis propter excellentes virtutes suas in quibusdam pertinacioribus morbis specificas, jam ab antiquis temporibus, pro sacra anchora sit habitus, adeo, ut veteres illum idcirco dixerint MANVM DEI, uti *Gesnerus loco supra citato fol. 305. ex Aëtio refert.*

Thef. IV.

Sanguinem vero generaliter non secus in brutis ac in homine vitæ fomitem, fontem, & illud quasi vehiculum esse, quo mediante principium vitale per organa

(70)
na debita se in totam corporis humani machinam dif-
fundit, ejusque nutritionem ex ipsis sanguinis particulis
salino-solphureo-oleosis in gelatinosa, & limpidissima
inter se lymphæ dilutis, massamque sanguineam con-
stituentibus sustentat, nemo negabit.

Thef. V.

Ut vero istæ particulæ salino-sulphureo-oleosæ
pro diversitate animalium in majori, vel minori quan-
titate deprehenduntur, & eorum sanguis ea propter in-
qualitate specifica à se invicem insigniter differt, hir-
cinus autem sanguis propter uberiorem harum parti-
cularum copiam, qua talis sanguis abundanter refer-
tus est, præ cæterorum animalium sanguine in usum
venit, & pro præcipuo specifico in discutiendis conge-
stionibus grumosis, inflammatoriisque stasibus sangui-
nis habetur, quod omnibus fere aliis remediis palmam
præripit; Ita de multiplici hujus sanguinis efficaci
energia, & usu clinico progressu ulteriore acturi ad me-
tam præfixam properamus merito.

Thef. VI.

Est autem sanguis hirci, prout in officinis pharma-
ceuticis vulgo prostat, materia rufo-subnigricans diffi-
cilis triturationis, & paratur ex hujus animalis sanguine
concreto, atque in furno desiccato, abjectis partibus
ichorosis.

Thef. VII.

Juxta Pharmacopœam Augustanam quidem ad
hanc sanguinis hircini præparationem requiritur, ut hir-
cus à quo, ætatis sit mediocris, & antea bene nutritus
per

per 11. mensem herbis diureticis, petroselino, apio, pimpinella, levistico, erica, malva, & similibus.

Thef. VIII.

Nec minus temporis ratio ibidem habetur, ut nempe hircus ejusmodi herbis diureticis per mensem faginatus æstatis principio mactari debeat, sole in cancrum ingrediente. Verum hæ circumstantiæ plerumque à Pharmacopœis ex proterva, & prava consuetudine non attendi solent, sed tanquam sumptuosæ, & magis laboriosæ brevitatis causa omittuntur.

Thef. IX.

Juxta Helmontium tantum sanguis arteriosus sumi debet, quapropter ille hircum non jugulat, sed sanguinem ex abscisso scroto colligere jubet, hircum, inquiens, suspendo cornibus, & crura posteriora ad cornua reflecto, testes abscindo, & recepto inde cruore sanguinem dimitto pro lanione; Hic cruor siccatus est instar vitri difficillimæ triturationis, atque longissime 3j. pondere confestim sopit, & curat pleuritidem absque sectione venæ, nec deseret te unquam; hucusque *Helmontius in tract. Pleura furens §. 32.*

Thef. X.

Alii, qui hoc sanguine pro specifico lithontryptico concipere cupiunt, hircos vario modo antea nutritos volunt, nec est plane de nihilo illorum sollicita curiositas, quia experientia teste, ut infra fusius demonstrabitur, animalium humores, & tota massa sanguinea

guinea pro qualitate assumptorum alimentorum valde alteratur.

Thef. XI.

Sic Marcellus citante *Gesnero fol. 305. libr. 1. Hist. anim.* ad calculum e vesica pellendum jubet hircum unius anni mense Augusto segregare, & per septem dies lauro pascere, *capit. 26.* dicens: Hircum segregatum, vel clausum septem dies lauro pascas, & postmodum a puero impubere occidi facies, & sanguinem ejus excipies munditer, ex eo dabis laboranti (calculo) in vini cyatho scrupulos tres; Paulo inferius autem ratione temporis variat, & loco septem dierum tantum tres dies pro hirco lauris alendo sufficere docet, dum eodem *capit. 26.* inquit: calculosis incredibiliter succurri, si hircum claudas loco sicco per triduum, ut ei solas lauras edendas subministres, & aquæ nihil accipiat, ad postremum tertio die, id est, aut Jovis, aut solis die, occidas; Hunc sanguinem patella candenti torrefactum additis quibusdam appropriatis herbis & feminibus jejuno stomacho in haustu vini generosioris exhibitum, magnopere deprædicat allegatus Autor, & calculum solvere, solutumque cum urina expellere asserit; An vero baccas, vel folia lauri hircis pro pabulo subministranda voluerit, non æque constat, & experientia relinquendum, utrum magis artideret hirco pro gratiori pabulo?

Thef. XII.

Cætera autem hujus Autoris monita de puero impubere, per quem hircus debeat occidi, item quod hircum in die Jovis, vel solis jugulari oporteat, prorsus nihil ad rem faciunt, & nugæ ejusdem farinae sunt, qua-

B

les

Ies ille Pharmacopœus Meinungenſis, uti videtur, quondam alicui Principiſſæ Hennebergenti impoſuit, de hircō ad uſum contra calculum deſtinato, cui per tres ſeptimanas loco potus ordinarii vinum generoſum propinari debuit, *vid. Sammlung von Natur- und Medicin-Geſchichten de anno 1721. pag. 420.*

Theſ. XIII.

Similiter & maxime abſonum, quod dictus Marcellus monet de hircō tali prorsus a potu arcendo, plus enim nocivum, quam proficuum fore puto, ſi omnis potandi, ſitimque ſiſtendi occaſio, & libertas huic candidati mortis durante ejus præparatione ad mortem, auferatur, & ſi non vino, ſaltem aqua modice frui debere judico, niſi forſan herbis magis ſucculentioribus ſimul paſceretur, quæ defectum potus ſupplere queant.

Theſ. XIV.

Cæterum non negaverim, ſi hircus ad uſum medicum, præprimis in Remedium contra calculum deſtinatus, aſſueſcieri poſſet, ut quotidie certam quantitatem baccarum lauri cum hordeo minutim conuſo remixtam, una cum herbis diureticis loco potus ordinarii per aliquot ſeptimanas comederet, quin tali modo ſanguis hircinus præſertim adjecto Tartaro ſolubili in doſi conuenienti vires plus duplo majores acquirere, & proſcopo lithonryptico magis collimare poſſit, quia bæcæ lauri inſigni gaudent vi lithonryptica.

Theſ. XV

Id quod etiam de ruta muraria, ſive adiantho albo conſtat, & experientia D. Oswaldi quondam Archiatri Archiducalis Auſtriaci, referente *Sachſio in Gammarologia ſua pag. 31.* comprobatum eſt; dictus enim D. Os-

D. Oswaldus sanguinem ex hirco per quadraginta dies dicta herba nutrito, tanquam securum, & efficax specificum lithonrypticum bono cum successu semper adhibuit.

Thef. XVI.

Negari enim non potest, sanguinem, imo & carnes animalium saporem, atque odorem, & consequenter etiam qualitates alimentorum tantopere assumere, ut interdum sensibus externis, gustu nimirum, & olfactu persentisci, & manifeste percipi queant, quod his in oris Thuringiacis, ubi quotannis multum seminis rapicii, vulgo *Rübsen*, seritur, & ad conficiendum exinde oleum in agris colitur, ex columbis, eorumque pullis observare licet, quæ illo tempore, quo dictum semen in agris ad maturitatem pervenit, & illis in escam cedit, propter acquisitum exinde saporem rancido-oleosum vix comedi possunt.

Thef. XVII.

Tale quid & in carne suilla aliquando observavimus, odorem & saporem balsami sulphuris Smalcaldici ad unguem referente, lanio enim hunc balsamum porcis pro specifico contra glandia, vulgo *die Sinnen*, cum alimentis quandoque dederat.

Thef. XVIII.

Cæteroque & sanguis hircinus præcipuum supeditat ingrediens ad D. Andr. *Cnüffelii* quondam Archiatri Regii in Polonia Arcanum contra calculum, de quo vid. *Append. ad ann. 6. S. 7. Ephemerid. Med. Physic. natur. curios. pag. 128. S. ibid. p. 129.* prostat Scaligeri iudicium de virtute huius sanguinis lithonryptica: Hircinum sanguinem frangere in renibus, ac vesica lapidem

tam verum esse, quam solem meridie lucere, quam plurimos enim, inquit, ejus vi comminuimus, sed tamen præsupponit hircum prius herbis lithonrypticis nutritum fuisse.

Thef. XIX.

Quemadmodum vero sanguis hircinus, ut jam supra dictum, etiam in resolvendis congestionibus, & stasibus sanguinis inflammatoriis, præprimis autem in discutiendo sanguine grumoso ex casu ab alto, vel alia violenta contusione orto, remedium est ferme sine pari, præcipue si cum appropriato vehiculo ex infuso herb. arnicæ, & florum sambuci propinatur; Ita etiam in pleuritide & febribus cum internis inflammationibus conjunctis pro validissimo diaphoretico habetur, & in ejusmodi casibus pro ratione subjecti cum aliquot granis nitri purificati remixtus a ʒj. ad ʒʒ. usque ʒj. cum euphoria datur.

Thef. XX.

Similiter quoque in Hæmoptysi ad declinationem vergente pro resolvendis sanguinis extravasati grumosis particulis in parte affecta restantibus, & pro restaurando motu tonico remperantibus admixtus pulveribus, multum utilitatis habet.

Thef. XXI.

Gaudet namque sanguis hircinus, uti ex analysi ejus chymica constat multo sale volatili, (ne de reliquis dicam) & consequenter non exiguam vim tonum roborandi possidet. Salia enim volatilia interne assumpta fibras blande vellicando promovent tonum viscerum, & proinde inter remedia tonica referuntur.

Thef.

Thef. XXII.

Nec minus sanguis hirci in nephritide omnibusque affectibus renum optime conducit, præsertim si cum portiuncula nitri purificati commisceatur, & in nephritide calculosa post paroxysmum exhibitus insigniter promovet repurgationem renum.

Thef. XXIII.

Hinc etiam in affectibus hydropicis ad referandas viscerum obstructions multum confert, præsertim si tartarus solubilis pro tertia parte, aut in proportione anatica addatur, si quidem in febre quartana propter malum regimen in ascitem degenerante, non ita pridem experientia me hujus energiæ in puero duodecim annorum certiore reddidit, cui præter medicamentum modo dictum nihil, nisi infusum ex radice taraxaci herb. card. bened. basilic. betonic. & salv. sylvestr. invicem certa proportione mixtis, felici eventu adhibui.

Thef. XXIV.

In his virtutibus autem suis hircinus sanguis insigniter exaltari, promoveri, & longe subtilior reddi potest, si nempe ejus præparatio cum spiritu nitri optime dulcificato instituitur, & quidem tali modo, ut sumatur sanguis ex hirci juxta Autorum monita mediocris ætatis, & simulac aliqua elapsa mora in concretionem abierit, a sero supernatante liberetur, atque tribus partibus spiritus nitri dulcis diluatur, & sic per aliquot dies in leni digestionem quotidie bene circum agitando servetur, quo postea ad siccitatem iterum abstracto obtinetur sanguis hirci illo vulgariter per desiccationem in furno præparato longe præstantior, qui in omnibus supra recensitis morbis, tutum, jucundum, & præsentaneum

neum præstat effectum atque auxilium, nec ulla caufabitur in sua operatione molestas anxietates, ut interdum post assumptum vulgari modo desiccatum, fieri solet.

Thes. XXV.

Debet autem dictus spiritus nitri dulcis ad hanc præparationem necessarius componi ex una parte spiritus nitri optime rectificati, & tribus partibus spiritus vini rectificatissimi invicem in loco frigido per digestionem ad minimum unius mensis intus unitis, & per alembicum ad consumptionem fere destillatis.

Thes. XXVI.

Hic spiritus nitri dulcis sanguini hircino superfusus ejus particulas glutinosas absque destructione particularum gelatinosarum non solum suaviter recludit, sed etiam per adunationem particularum nitroso-balsamicarum illius energiam magnopere adauget, ut in morbis quam plurimis tanquam salutare, & efficax remedium adhiberi queat, non obstantibus objectionibus, quas *Thom. Bartholinus* generatim contra usum sanguinis tam culinarem, quam pharmaceuticum in *Tr. suo de sanguine verito pag. 58.* in specie & contra sanguinem hircinum profert; Usus culinarem tanquam gulæ dicatum suo relinquimus loco, & si quis hac in re conscientiae scrupulum in se prævalere sentiat, abstinentes esto, usus vero pharmaceuticus ratione finis ad tuendam valetudinem respicientis neminem religionis, aut conscientiae reum faciet, si remedio tam vilis pretii morbum molestum, imo funestum superare possit, sic *Borellus centur. IV. observ. 16.* cujusdam medicamenti ex sanguine animalium præparati mentionem facit, quo me-

mediante trium dierum spatio interdum hydropem curare potuerit; Quis igitur tam superstitiosus erit, ut in casu necessitatis usum medicaminis ejusmodi salutaris ex sanguine animalium præparati ea propter reprobare vellet, quia usus sanguinis in sacris literis vetitus esset, quæ consequentia autem maxime est erronea, nam in sacris literis etiam prohibitum est tangere proximi uxorem, ergo nullus Medicus alterius uxori in partu difficili auxiliatrices manus salva conscientia porrigere possit, quod vero perinde falsum & erroneum est; Accedit & porro, quod sanguis animalium, ut noster hircinus, ad usum medicum accommodatus sua crasi in igne per præviam præparationem chymicam penitus destituatur, id quod solum sufficiat scrupulosis omnem offensionis remove lapidem.

Thef. XXVII.

Cæterum sanguis hirci a quibusdam Autoribus etiam inter antidota refertur, nam juxta Dioscoridem sanguis hircinus in sartagine fixus, & in vino potus contra toxica efficacax est; Et forsitan non infimum inter antidota meretur locum contra illa toxica ex regno animali, & vegetabili, quæ massam sanguineam peculiari quadam venenositate volatili acri in grumos redigunt, & propter ejusmodi anallysin massæ sanguineæ, anxietates præcordiorum, lipothymias, & nisi citò succurratur, subitanæ mortem causantur, hinc dictus sanguis tanquam peculiare specificum ad discutiendas concretiones sanguinis grumosas in tali casu non parum auxilii promittere potest.

Thef. XXVIII.

Siquidem etiam particula bilioso-volatili-acres ad massam sanguineam in circulatione irruentes maxime idoneæ sunt ad crasin sanguinis in grumulos dissolvendam; Sic mihi innotuit casus, quo tales particula bilioso-volatili-acres massa sanguinea per repentinam commotionem
animi

animi ex nimia iracundia in vehementem orgasmum perducta primum arthritidem vagam cum doloribus acerbissimis, & paulo post talem in massa sanguinea grumositatem induxerit, ut agrotus jam jam cum maxima anxietate, & molesto nisu ultimum trahere videretur spiritum, in hoc frangenti præter venæ sectionem nullum restabat auxilium, qua igitur suscepta ne minimum quidem sanguinis provenire volebat, at Chirurgo fortiori compressione sanguinis exitum urgente, tandem ex vena scēla prodeiebant grumuli sanguinis cum intermixtis particulis ferolis tenuioribus, quoad consistentiam non secus ac in expressione ulceris purulenta materia repletis apparere solet. Ad posteriores ergo sanguinis concreciones præcavendas, & ad orgasmicos simul concurrentes motus dolorificos compefcendos, hircinus quoque sanguis supra dicto modo preparatus admixtis aliis temperantibus adhibitus, bona cum euphoria brevi temporis spatio omnem penitus solvebat morbum, nostrum Patientem antea cum periculo vitæ tam misere infestantem.

Thef. XXIX.

Quoad usum externum sanguis hircinus ab Avicenna ad maturandos abscessus calidioris indolis commendatur, qui illum pro tali fine recenter congelatum imponere jubet, & a Marcello laudatur in lepra externe illitus.

Thef. XXX.

Deficetus autem inter sanguinem fistentia refertur, & ad hæmorrhagiam narium reprimendam conducere creditur, si naribus indatur.

Thef. XXXI.

Sic & ab Aëtio pro præcipuo ingrediente specifico ad emplastra contra podagram habetur. Et hæc pro scopo nostro hac vice dixisse sufficiant.

S. D. G.

01 A 6603

ULB Halle


3

003 092 291



1007





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

40.

DE
SANGVINIS HIRCINI
VSV ET PRÆSTANTIA
IN RE MEDICA,

QVAM
VELIFICANTE NVMINIS SVPREMI GRATIA
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S.
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS
ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT.
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. HERMANNIPAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTOR. ET RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS *Stauder*

Ohrdrufio-Gothanus.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE I. JVLIJ A. R. S. M DCC XXX.

ERFORDIÆ, literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.